DE

ILEO MORBO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE III. M. JUNII A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

ALEXANDER CRAILSHEIM
MOENO-FRANCOFURTENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. ENGELMANN, MED. ET CHIR. CAND.
A. OFTERDINGER, MED. ET CHIR. CAND.
S. WOHL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

DE ILEO MORBO.

§. 1. Definitio.

Ileus s. Passio iliaca s. Chordapsus s. Miserere ea nominatur affectio morbosa, quae pertinaci alvi obstructione vomituque consistit, atque id quidem propter impeditam tractus intestinorum communicationem. —

In qua morbi definitione si quis est, cui mirum videatur, quod causam etiam attulerimus, notandum nobis est, in illa ipsa peculiarem ilei naturam positam esse, quum tam variae sint cujusvis vomitus vel alvi obstructionis causae.

§. 2. Symptomatologia.

Symptomata autem morbi praecipue haec sunt: pertinax alvi obstructio, quae solitis remediis purgantibus vel clysmatibus tolli haud facile potest; taedium ciborum, ructus, vomituritio, vomitusque ipse, quo primum ventriculi contenta et mucus, tum vero liquor chocolatae similis, imo si malum ad summum fastigium ascenderit, faeces evehuntur (copremesia, de qua vide notam); singularis quidam atque vehemens dolor ex uno eodemque canalis intestinalis loco proficiscens, qui dolor propter sin-

gularitatem jure dolor iliacus nominatur; praeterea etiam alii dolores, colicis haud dissimiles, interdum remittentes; venter admodum tensus elatusque est, neque facile sine ullo dolore tangitur; pulsus arteriarum parvi, celeres ac duri, facies collapsa, cutis extremitatum frigida sudoreque obtecta; singultus, quem saepissime spasmi, convulsiones, lipothymiae sequuntur; postremum maxima debilitas consequitur; largae autem faeces plerumque brevi ante mortem per alvum evacuantur. Mortis vero in hoc morbo variae causae esse possunt: primum enim evenire potest extinctis nervorum plexuum abdominalium, deinde totius organismi viribus, vel etiam apoplexia abdominali; longe plurimis tamen in casibus ex gangraena abdominali mors derivanda est, quum durantem aliquod per tempus morbum enteritis et peritonitis plerumque comitentur.

Quae vero in enumerandis ilei symptomatibus ad perfectam morbi imaginem necessariis adhuc omiserimus, ea in explicanda morbi aetiologia afferemus, ubi etiam decursus exitusque varii in luce nobis ponendi sunt, atque id quidem quia variae morbi causae multum conferant ad constituendam magnam symptomatum ejus varietatem.

Nota. Copremesiam autem stricte sic dictam, cujus supra mentionem fecimus, qui necessarium hujus morbi symptoma habendam esse opinantur, ii quidem errare nobis videntur. Nam in summis tantum, ut repetam, mali gradibus, et ne in his quidem necessario adest. Atque hujus quidem rei causa maxime in valvulae Bauhini resistentia quaerenda esse videtur. Haudquaquam autem infitias

imus, copremesiam etiam invicta, ut ita dicam, valvula illa adesse posse, quum etiam contenta infimae partis intestini tenuis (ergo citra illam valvulam) faecibus persimilia esse possint. Neque tamen in altera parte omnem copremesiam ejusmodi esse, ut contenta tantum supra valvulam Bauhini jacentia per vomitum evacuentur, nonnullorum morbi hujus casuum observationibus, quibus non detrahenda est fides, ubi clysmata ipsa per os egesta erant, comprobatur.

§. 3. Aetiologia.

Essentialis quae dicitur, sive proxima ilei causa est obstaculum quodcunque in quocunque tubi intestinalis loco viam contentis praecludens. Ex quo elucet, causas occasionales morbi omnes eas recte nominari posse, quae hanc proximam causam efficiant. Obstaculum vere illud intelligitur semper re vera esse mechanicum, i. e. respectu spatii spectandum, quia tubi intestinalis impeditur vel tollitur communio; efficitur autem vario modo: primum dynamice, i. e. spasmo; deinde organice, i. e. partium organicarum textura vel situ a norma recedente; postremum mechanice sensu strictiore, i. e. alienis corporibus in canalem intestinalem ingestis, assimilationi resistentibus. Unde manifestum est, omnes causas ilei occasionales commode in tres classes distribui, dynamicas scilicet, organicas et mechanicas.

§. 4. De causis dynamicis.

Spasmus igitur, ubi tractus intestinalis fibras musculares corripuerit, non potest lumen ejus non imminuere, ita ut, si majori gradu adsit, nullo

modo quae extrorsum semovenda sunt permeare possint. Quare motu peristaltico ita sublato, contrarioque provocato motu, quis est, quin ileum morbum adesse videat? Hunc autem morbum Ileum spasticum sensu strictiori potius nominaverim, qui nihil nisi summus colicae spasticae gradus habendus est. Inde consequitur, easdem huic ileo causas remotas subesse, atque colicae illi; tales autem eas esse necesse est, quae quocunque modo tubi intestinalis sensibilitatem adaugeant, fibrarumque ejus muscularium contractionem provocent. Adnumerandae igitur iis diversissimae noxae sunt, in quarum numero praecipue alimenta flatus efficientia, vermes intestinales, effusionem largam bilis, animi motus, lithiasin, refrigeria habuerim.

Ad hanc ilei speciem, spasticam dico, etiam illa jure meritoque mihi referenda videtur, quae apud alios auctores sub nomine Ilei inflammatorii occurrit, et saepe symptoma enteritidis vehementioris reperitur. Debet enim hic ileus sic dictus inflammatorius ita declarari, ut vasorum abdominis sanguiferorum irritatio in nervos ejus quasi transsiluerit, id quod optimorum scriptorum auctoritate comprobatur; nec mirum cuiquam videbitur, quod inflammatione spasmus provocari possit, qui inflammatorii status naturam probe cognoverit. Neve autem cognitionem rei, quae summi momenti est ad ileum cognoscendum et curandum, silentio praetereamus, verbo dicendum est, enteritidem et peritonitidem simili modo ileo morbo provocari posse, uti ileum inflammatione effici modo retulimus. —

Spasmus vero ille, quem ilei spastici causam

esse diximus, probe distinguendus est ab eo, qui magnum ipsius morbi momentum constituit, qui scilicet, quibuscunque ex causis ileus ortus sit, nunquam desideratur, quum praecipuum morbi symptoma, vomitum dico, spasmo tantummodo procreari posse eluceat.

§. 5. De causis organicis extra tubum intestinalem positis.

Jlei causae, quas diximus organicas, duplicis sunt generis, prout nempe aut textura et fabrica, aut situs a norma recedit. Causae ex textura et fabrica abnormi ortae iterum in duas abeunt classes, quum nempe fabrica abnormis esse possit aut in intestinis ipsis, aut in partibus extra tubum intestinalem. Iam vero de his dicemus. Praecipuae ilei causae organicae extra tubum alimentarium positae hae sunt: tumores vicinarum partium, indurationes, steatomata et similia, quorum si tanta est magnitudo, ut canalem intestinalem aliquo loco comprimant, lumenque ejus comminuant, ileum oriri posse patet. Recte huc etiam aliquis referat ileum gravidarum, utero gravido partes vicinas comprimente genitum; animadvertendum autem est, gravidas omnino alvi obstructione solere laborare, durarumque faecium accumulatione quoque ileum posse effici, id quod quum ad aliam ilei speciem, stercoralem scilicet, pertineat, infra contemplari placet; praeterea quis nescit, gravidis prae omnibus magnam esse ad spasmos perpetiendos inclinationem, qui ita increscere possunt, ut etiam ilei mere spastici graviditas causam praebeat. Huc etiam pertinet, id quod a nonnullis scriptoribus

commemoratum est, ileum inversis costis spuriis, quae intestina comprimebant, ortum esse.

§. 6. De causis organicis in tubo intestinali sitis.

Mutata intestinorum textura singularem quandam ilei speciem constituit, quam Ileum scirrhosum vel Enterostenosin sensu strictiore nominaverim. Coecum enim intestinum degenerationi obnoxium est, quam nescio quo jure scirrhum nominent; formationem hujus scirrhi nullo modo intelligere possumus, nisi inflammatio lenta partem aliquam intestini coeci corripuerit, cujus exitus lymphae plasticae exsudatio fuerit, in qua peculiaris quidam processus vitalis inceperit. Ex quibus causis remotis scirrhus intestini coeci originem ducat, difficile est declaratu, nisi forte quis eo acquiescat, quod irritamentis diu permanentibus, quibus potus spirituosi, rheumatismi, sanguinis menstrualis congestiones et similia adnumeranda sunt, inflammatio illa chronica et ut ita dicam plastica in intestino coeco oriatur; metastasi quoque gonorrhoeae scirrhum coeci provocari posse, Authenriethii est sententia. Ad diagnosin ilei scirrhosi haec symptomata animadvertenda sunt: plures per annos ante morbum confectum dolores colicis similes, etiam minimi momenti causis commoveri solent; parvus tumor ad dextri ossis ilium cristam apparet, unde dolores ordiuntur; vomitus initio morbi cibis ingestis tantum oritur, postea vero sua sponte. Praeterea ad faciliorem morbi cognitionem notandum est, priusquam ad summum fastigium evehatur, indolem ejus saepe

esse intermittentem, et durante intermissionis tempore morbi praesentiam segni tantum alvo doloribusque colicis, levissimis causis orientibus indicari. Quodsi vero morbus ita increverit, ut copremesia possit appellari, nova tum maximae vehementiae inflammatio irruit, quae maxime a lenta illa, quam ad declarandum scirrhum necessariam esse diximus, abhorret; secundaria autem haec inflammatio saepissime gangraena finitur, interdumque anum artificialem efficit. Extispiciis cadaverum ostenditur, intestinum coecum hic illic ad cartilaginis consistentiam induratum esse et cum vicinis organis in unum coaluisse; vel etiam loci gangraenosi in eo deteguntur aliaque inflammatorii status documenta.

Praeter hunc autem scirrhum coeci, veri haud dissimile est, in quovis intestinorum loco lymphae plasticae exsudatione vel pseudomembranarum efformatione post finitam aliquam partis illius inflammationem, obicem in via intestinorum oriri posse, qui ilei organici causam constituat. Huc recte referendus esse videtur ileus ille, qui interdum vulnera abdominalia sanata sequebatur; ubi in eo, qui vulneratus erat, intestini loco angustiae quaedam remanebant. — Praeterea ad hujusmodi ilei causas adnumeranda sunt intestinorum varices, aneurysmata, hydatides, ossificationes, nec minus vitia nonnulla primae formationis, v. c. atresia ani.

§. 7. De ilei causis ex anomalo intestinorum situ deducendis.

Situs intestini alicujus abnormis esse potest et respectu sui ipsius et respectu vicinarum partium

unde duas habemus hujusmodi causas ilei, intestinorum intussusceptionem nimirum et herniam incarceratam. —

Quod attinet ad herniam incarceratam, maxime consuetis ilei causis adnumeranda est. Facile autem intelligitur, unam salutem in removenda herniae incarceratione positam esse. In cujusvis propterea ilei tractatione omnium prima medici cura esse debet investigare, num hernia incarcerata nec ne, adsit quam investigationem valde accuratam esse necesse est, quum parvae herniae vel a peritissimis chirurgis facile praetervideantur. Qua quidem in re minime negligendum est, herniam quidem adesse posse, nec tamen ilei praesentis causam esse; atque id ita sese habere, si facilis est herniae repositio, nemo est qui neget; attamen etiam si hernia nullo modo potest reponi, ut est in herniis cum vicinis partibus concretis, incarcerata sit, ileique praesentis causam contineat minime oportet. Ut autem habeamus, quod in certa constituenda diagnosi sequamur, monendum est, ut locum respiciamus, unde dolores illi iliaci ortum et ceperint et capiant; qui si a sacco herniae non ordiuntur, facile est collectu, ileum non ab hernia profectum aliamque investigandam esse causam. — Sunt etiam casus rari internaquasi herniarum, e. gr. si adsunt diaphragmatis, omenti, mesenterii foramina. Si tali ortus est causa ileus, tum quis est, quin diagnosin vel summis cum difficultatibus esse conjunctam, vel omnino non constitui posse videat.

§. 8. De intussusceptione intestinorum ut ilei causa.

Intussusceptione autem intestinorum, si ilei causa fit, singularis quaedam ilei species constituitur, cui nomen est Ileus volvulus. Intussusceptionis hujus duplex potissimum distingui potest ratio, aut enim superior intestini pars in inferiorem descendit, aut vice versa. Quid vero sit, quod volvulum efficiat, res est perobscura. Quaeritur, num harum intussusceptionum altera motu peristaltico valde adaucto, altera motu antiperistaltico provocari possit; sed desunt exempla, solis drasticis vel emeticis remediis volvulum unquam esse ortum, qui in universum rarissimis morbis adnumerandus est. Sine ulla autem controversia volvulus eo consistit, quod quae polares dicuntur vires intestinorum aut auctae sint, aut inversa ratione constitutae, id quod vel refrigerio vel colica flatulenta vel alia quadam re effici potest. Quod ad volvuli diagnosin attinet, eam haud facillimam esse elucet, nisi hisce rebus quispiam niti velit ad perscrutandam ilei volvuli ab alia ilei specie differentiam. Per aliquantum enim ante morbum tempus aegroti de ventris doloribus ructibusque conquerebantur, tum vero ileus morbus magna cum celeritate quasi irruit, nullo autem in loco durities ulla neque tumor conspicitur; saepe praeterea observata est vehementissima sphincteris ani contractio, ita ut vel clysmata sursum evacuentur. Si vero situs intestinorum post aliquantum temporis spatium non in normalem suum statum restituitur, tum vehementissimis doloribus, qui primum in regione

umbilicali saeviunt, deinde vero in vicinas partes transgrediuntur, inflammatio accedit, febre inflammatoria abdominisque et tumore et calore cognoscenda. Quae quidem inflammatio aegroto salutaris hoc modo fuit, ut, quum involuta illa intestini pars gangraenosa facta esset, per alvum evacuata esset continuitasque prior restituta; quod vero non nisi rarissime contingit. Multo enim saepius mors aut gangraena aut apoplexia abdominali cietur. Cadaverum vero sectione plerumque observatum est, superiorem intestini partem in inferiorem descendisse, raro vice versa. In omnibus autem illis casibus, ubi inferior in superiorem partem involuta erat, morbi symptomata multo vehementiora fuisse dicuntur; atque id quidem non est, quod miremur; facile enim intelligitur, inferiorem, quae involuta est, partem non solum luminis intestinorum imminutione faecium impedire progressum, sed etiam eo, quod simili modo uti per valvulas in venis fit, coecum, ut dicunt, saccum efformat, qui faecibus expansus, omnem praecludit communicationem. Cadaverum extispiciis deinde cognitum est, plurimis in casibus complures tales volvulos una adfuisse, qui multo rariores erant in inferiore intestinorum tenuium parte, quam in superiore; interdum conglutinationes reperiebantur, loci aliquot gangraenosi, saepissimaque inflammationis vestigia. —

Praeter volvulum autem etiam aliae causae esse possunt ilei, quae in situ canalis intestinalis a norma recedente respectu sui ipsius ponendae sunt; nonnunquam enim observatum est, circumvoluto processu vermiculari intestinum colon constrictum esse; prae-

terea intestinorum implicationes, quibus invicem sese contorquent, ileo generando causam praebere possunt.

§. 9. De causis ilei mechanicis.

Ilei autem causae, quas mechanicas nominavimus, aliena sunt corpora, quae per os in ventriculum, indeque in canalem intestinalem lata, viam ita praecludunt, ut nnllus sit contentorum transgressus, v. c. monetae, acus metallicae, lithosperma fructuum etc. Quibus mechanicis ilei causis haud alienum esse mihi videtur adnumerare faeces accumulatas et induratas; nam primum faeces ileum provocant modo mere mechanico; deinde quum sint jam ab organismo quasi exclusae, aliena corpora habendae sunt; postremo vero illa de quibus diximus corpora aliena deglutita nunquam fere tantae sunt magnitudinis, ut hac sola possint ileum ciere, sed tum demum causam hujus morbi constituunt, si faecibus quasi incrustata sunt, ita ut his quoque casibus faecium accumulatio ad ileum progignendum symbolam conferre debeat. Itaque haud perperam nobis videmur judicare, si ileum his mechanicis impedimentis ortum ut singularem quandam speciem proponimus, nomineque Ilei stercorarii s. saburralis insignimus. Hic igitur ileus stercorarius efficitur vel deglutitis incaute corporibus alienis, vel nimiis difficulterque assimilandis cibis, praesertim cum sint debilitatae intestinorum vires. Sic v. c. haud raro tempore vernali homines, comesa magna cerasorum eorumque simul nucleorum copia, ileum stercorarium perpetiuntur. Haud abs re is mihi

judicare videtur, qui hanc ilei speciem altiorem colicae saburralis gradum putaverit. Alienis autem, quae commemoravimus, corporibus adnumeranda etiam sunt arthritica illa concrementa, tametsi fatendum sit, non extrinsecus ea in corpus inferri. Interdum enim haec in parietibus intestinorum reperta causam ileo oriundo praebuerant; ita ut hoc in casu tributum a Germanis huic morbo nomen Darmgicht, quod ut nobis videtur tantum propter dolorum vehementiam factum est, etiam verbo tenus haud ineptum sit. Nec vero desunt exempla, calculis felleis, qui in canalem intestinalem per ductum choledochum descenderant, ileum morbum provocatum esse. Calculi autem intestinales proprie sic dicti, quales in equis interdum reperiuntur, possintne in homine quoque oriri, valde dubia res est. Ileus stercorarius indigestionibus effectus nonnunquam chronicum habere videtur decursum, atque id quidem in hominibus, quorum summopere sunt debilitata ac vulnerabilia digestionis organa; tales dico homines, si paulisper tantum a consueta vivendi ratione aberraverint, matutino tempore solent ilei quasi paroxysmis angi; praecipueque id fieri solet apud seniores homines, qui arthritide anomala laborant. —

Ilei autem stercorarii diagnosis maxime causae occasionalis investigatione sistitur et praeterea tumore, faecibus induratis genito, per abdominis integumenta apparente. Quod autem ad ilei stercorarii exitum attinet, aut, quum ingens faecium copia una cum multis flatibus feliciter per alvum excernitur, in reconvalescentiam, aut, si enteritis accesserit et gangraena, in mortem convertitur morbus.

§. 10. De ilei prognosi.

Ilei prognosin facile intelligimus pro ejus causarum ratione necessario variam esse. In universum quidem mala habenda est; nam ileus sine dubio periculosissimis hominum morbis adnumerandus est. Accuratius autem definitur prognosis: decursus morbi celeritate, enteritidis vel peritonitidis accessione (quae plurimum solent in gangraenam transeuntes mortem afferre), dolorum praeterea vehementia obstructionisque alvinae gradibus; copremesia ipsa lethale propemodum signum habendum est. Maximum vero ad prognosin constituendam valere debent causae morbi; ileus enim scirrhosus pessimam praebet prognosin, nec multo meliorem ileus volvulus; haud ita malam ileus mere spasticus (qui vero rarissimus est); ileus stercorarius optimam.

§. 11. De ilei tractatione in universum.

Si denique ad hujus tam perniciosi morbi tractationem transgredimur, praemonendum nobis videtur, ut aliorum morborum, sic etiam hujus, quantum fieri potest, radicalem debere eam esse. Nostro autem in morbo nulla alia ratione hoc fieri potest, quam sublata intestinorum communicatione restituta. Hoc efficiendi triplex omnino ratio est, aut secundum indicationem causalem, aut secundum indicationem morbi, aut denique secundum indicationem empiricam. Primum enim secundum indicationem causalem morbus est tractandus, ita ut id quod intestinorum luminis imminutioni occasionem praebuit, ergo simul etiam ea quae causa hac producta est imminutio ipsa, tollatur; sic

v. c. in ileo spastico, qui ex refrigerio ortus est, diaphoreticis utimur remediis. Secundum indicationem morbi eum in modum agendum est, ut, causarum ratione nulla habita (quippe quae vel cognosci vel auferri nequeant, vel omnino existere jam desierint), ipsum causarum effectum, i. e. impeditam intestinorum communicationem, removeamus, v. c. remediis motum peristalticum promoventibus vel spasmum solventibus. Denique si neque prima neque altera tractandi morbi ratione impeditam intestinorum communicationem restituere valemus, tum secundum indicationem quam empiricam nominare placet, morbum sanare studemus talium remediorum usu, quae empirica nominantur, eorum scilicet, quibus morbum nonnunquam tolli posse experientia quidem docuit, sed quae nondum ita cognovimus atque perspeximus, ut, quomodo tantam efficaciam exerceant, quibusque in casibus maxime in iis collocanda sit nostra fiducia, nesciamus; pertinet autem huc mercurii vivi frigorisque usus ad ileum sanandum. —

Verum enimvero radicali hac morbi tractatione ex methodis modo commemoratis instituta, ileus quidem tollitur, ergo simul symptomata ejus tolluntur; sed tamen illa ipsa symptomata durante vel crescente morbi vehementia ita exacerbari possunt, ut singulare quoddam medicinae auxilium expostulent; quare tum indicatio symptomatica respicienda est. —

Quodsi vero morbus et symptomata ejus periculosa sublata sunt, vires et morbo ipso et remediis ita fractae esse possunt, ut etiam in reconva-

lescentiae stadio valetudo medicinae ope egeat, cui rei curae secundariae vel reconvalescentiae indicatio prospicit. —

Variae hae indicationes ante explendae sunt ad morbum ejusque sequelas radicitus evellendas. Quod quidem tum effici nullo modo potest, si morbus tam organicus est (sit venia verbo), ut nullius in eum medicamenta sint efficaciae, quod v. c. semper in enterostenosi scirrhosa fit. At vero etiam insanabilis morbus ab arte non rejicitur; curandum enim tum est, ut dolores leniantur, morsque nevitabilis, quantum fieri potest, procrastinetur, quod indicatione palliativa consequi studemus. —

Jam vero de variis his indicationibus seorsim dicemus.

§. 12. De indicatione causali.

Intelligitur primum in indicatione causali explenda magnam esse diversitatem pro magna singulorum casuum differentia. Nonnulla tantum hic afferre liceat.

Ileus spasticus, si refrigerio ortus est, expetit remedia diaphoretica, balnea tepida etc. Si vero peccatis diaeteticis provocatus est, necessaria est maxima in eligendis cibis potibusque cautela, qui nihil irritare, sed potius blandi esse debent; praeterea sordes evacuandae sunt purgantibus oleosis vel potius, propter vomitum, qui facile his movetur, clysmatibus; imo emeticum, quamvis vomitus adsit, nihilominus summum afferre potest auxilium. Quodsi vero spasmus bilis vel vermium intestinalium irritatione excitatus est, primum mitigantia, deinde evacuantia

remedia adhibenda sunt. Quod vero attinet ad ileum spasticum enteritide genitum, irritatione vasorum in nervos quasi traducta, totus, qui praesto est arti, apparatus antiphlogisticus salutaris fiet. —

Ileus scirrhosus si potuum spirituosorum abusu alitur, tales omnes caute evitandi sunt. Si forte in rheumatica irritatione scirrhi causa sita est, balnea hydrothionica salutaria erunt. Quodsi vero ex causa syphilitica tunica intestinorum mucosa aliquo loco relaxata vel desorganisata esset, ut inde enterostenosis exorta esset, tum indicationi causali satisfaceret curatio antisyphilitica. —

In ileo volvulo si forte refrigerii praeteriti ratio habenda est, balnea tepida, vel potius superfusiones calidae aliaque diaphoretica adhibenda sunt.

In ileo stercorario indicationi causali (quae hoc in casu ab indicatione morbi nihil differt) sufficimus faecibus vel aliis corporibus alienis evacuandis. Si autem quispiam est, qui ileum saburralem chronicum conqueratur, eum necesse est cavere, ne majorem ciborum copiam brevi temporis spatio comedat, ut omnibus flatus efficientibus cibis iisque qui haud facile possunt assimilari ne fruatur; suadendum potius est ei ut saepius pauca comedat et maxime cibis animalium tenuibusque fruatur.

§. 13. De indicatione morbi.

In ileo spastico antispasmodica remedia indicata sunt, inter quae maxime narcoticorum probata est utilitas; rarissime in eorum numero opium speratum auxilium denegavit, qua in re experientia edocti sumus, magis convenire doses ejus rariores magnas,

quam parvas frequentiores. Etiam aliorum narcoticorum nihil quidem est quod usum vetet, ut hyosciami, belladonnae, aquae amygdalarum amararum; sed non tam celere atque certum quam opii, eorum auxilium esse constat. Maxime salutaris est etiam radix ipecacuanhae refractis dosibus, et ad usum internum et ad clysmata porrecta. Multum utilitatis etiam clysmata ex herbae nicotianae vel vapore vel decocto parata afferre possunt. Sed non solum haec, quae modo commemoravimus remedia, sensibilitatem recta via deprimentia, spasmum solvere queunt, verum etiam mitigantia et involventia aliquid valent, ut oleosa et emulsiones. Praeterea balnea calida (quae omnino optimis antispasmodicis adnumeranda esse constat), cataplasmata emollientia vel ex herbis narcoticis parata abdomini applicata, inunctiones rerum volatilium cum opio conjunctarum vel oleorum tepidorum, vesicantia aliaque ejusmodi, nonnihil ad ileum spasticum sanandum conferre possunt. —

In ileo scirrhoso sensu strictiore, i. e. ubi paullatim, qui dicitur, scirrhus coeci efformatus est, scirrhum aut dissolvere aut quovis alio modo semovere oportebat; attamen nemo est, qui nesciat, remedia non tantum valere, ut scirrhnm resolvant; operatio autem, laparotomiam dico, hoc in casu nihil aliud valebit, nisi mortem accelerabit; ex quo ileum scirrhosum insanabilem adhuc esse elucet. Attamen enterostenosis etiam aliusmodi esse potest, i. e. tunicae mucosae relaxationibus et tumoribus genita, cujus rei si diagnosin certam habemus (quod vero tum tantummodo fieri posse elucet, si in inte-

stino recto sedem suam habent relaxationes illae), ammonii muriatici magnae doses per longius tempus adhibendae sunt; atque tum quidem auxilium de hujus remedii usu sperandum est, si ileus ipse nondum ad summum evectus est gradum. Enterostenosis autem, si in infima intestini recti parte sedem habet, cujus generis est vitium tale congenitum vel ani imperforatio, chirurgiae ope eget. —

In ileo herniae incarceratione procreato, indicatio morbi taxin aut herniotomiam institui jubet. —

In ileo gravidarum, utero premente effecto, si morbus videtur letalis, partus praematurus arte promovendus est. Si autem causa ilei gravidarum in spastica affectione ponenda est, tum curatio ut in ileo spastico est instituenda; sin vero ex retentis faecibus originem ducit, idem quod ileus stercorarius auxilium postulat. —

In ileo volvulo indicatio morbi in eo consistit, ut intussusceptio tollatur; quod quidem modo mechanico consequi, medici pristini ingerendis globulis plumbeis vel mercurio vivo periclitati sunt; globulorum illorum usum jam diu oblivio cepit, illisque omnino temporibus adhibebantur, ubi quo rudiora erant remedia, eo majorem habere putabantur efficaciam. Mercurius vero vivus solumne mechanica via vim suam exerceat, infra contemplari placet. In universum autem intestinorum situm ad normam suam viribus mechanicis reduci posse, tum tantum expectari liceat, ubi inferior intestini pars in superiorem involuta est, et metallum gravitate sua coecum illum, de quo supra verba fecimus, saccum expandit et deprimit; sed jam supra hunc volvuli

modum altero multo rariorem esse retulimus. — Ut autem via dynamica normalem intestinorum situm restituamus, talia nobis eligenda sint remedia, quae musculares fibras ad celeriores et efficaciores motus peristalticos incitent, i. e. remedia drastica; neque tamen temere horum usus commendandus est, propter inflammationem quae plurimum aut jam incepit, aut metuenda certe est. Quare nihil restat, quam praecipue intestinum rectum ad motus celeriores incitari, id quod optime clysmatibus ex ipecacuanhae decocto cum tartaro emetico paratis efficitur, dum simul superior intestinorum pars ventriculusque ipse emulsionibus, belladonna, floribus zinci talibusque paullulum quasi insopitur. Praeterea huc pertinet, quem proposuerunt medici quidam, apparatus injectorius ad maximam quam fieri possit aquae copiam in canalem intestinalem immittendam, ut hoc modo intestina expandantur. —

In ileo saburrali indicatio morbi in eo consistit, ut intestina purgentur, quod efficitur vel remediis purgantibus vel clysmatibus, maximeque a Marco Herz ex aceti et aquae aequis partibus composita enemata laudantur: optimo etiam successu clysma adhibebatur in casu quodam pertinacissimo constitutum ex tartari stibiati granis octo, aceti, aquae destillatae ana unciis tribus; sic etiam Wendt felici successu se dicit adhibuisse decoctum herbae gratiolae; ceterum fatendum est in efficacissimis hujus generis clysmatibus ea numeranda esse, quae ex herba nicotianae parantur. Remediorum vero purgantium vis plerumque adjuvanda est clysmatibus, quae nonnunquam sola restant refugia talibus in

casibus, ubi quaecunque per os ingesta sunt, statim vehementissimum excitant vomitum; qui tamen plerumque prohiberi potest remediis internis cum opii parva quantitate conjunctis, vel quod magis con venire videtur, opium solum longioribus temporis intervallis et majoribus dosibus alternatim cum remediis purgantibus porrigatur. Quae aptissime initio ad purgandum praescribi possunt remedia, sine dubio oleum ricini vel oleum lini habenda sunt, quia insuper etiam spasticam affectionem lenire valent; Quarin solebat praescribere: recipe olei ricini uncias tres, cum vitello ovi in mortario lapideo exacte mixtis adde syrupi althaeae uncias duas, aquae communis uncias decem, signetur omni semihorio cochlear majus sumendum. Richter formulam laudat sequentem: recipe magnesiae sulfuricae unciam, solve in aquae destillatae unciis octo, olei lini unciam, syrupi papaveris drachmam, extracti opii grana quinque, misceatur, signetur omni semihorio cochl. magn. Cum successu etiam praeterea lactis sulfuris drachma pluries per diem a nonnullis porrecta est. Propter magnam metuendam irritationem remedia drastica vitanda esse elucet; tamen non negandum est, certis quibusdam in casibus pertinacissimarum alvi obstructionum summam eorum esse efficaciam; sic Gruneri formula haec est: recipe resinae jalappae grana decem, saponis veneti grana tria, tere, dein affunde olei olivarum cochlearia duo, signetur bene mixti omni hora pars quarta sumenda.

§. 14. De empiricorum remediorum indicatione.

Multi apud scriptores literis consignati casus reperiuntur, ubi mirificae quaedam mercurio vivo adscriptae sunt vires. Namque mirandum sane est, quod narratur, ileum morbum, qui symptomatibus cruentissimis aegroto mortem fere inevitabilem parare videtur, nullique cedit remedio, uno illo funditus et brevi tempore sanatum esse. Plurimos autem horum casuum, non praetermittendum est, apud scriptores reperiri prioris aetatis, recentiores vero medicos, quasi morbi mechanicam ut ita dicam naturam statuere metuerent, hoc remedium prorsus neglexisse. Quomodo tantum valere possit mercurius vivus, jam eruere conabimur. Uti ceterorum medicamentorum, sic etiam mercurii vivi aut mechanica, aut chemica, aut dynamica vis est. Veri simillimum ut mihi videtur, opinio quod mercurius modo mechanico efficaciam suam edat, prima erat, quae auxilium ejus in ileo quaerendum esse statuerat. In contemplanda autem horum sententia, duae potissimum, quibus prae ceteris praecellit, mercurii vivi qualitates physicae considerandae sunt, primum pondus ejus specificum, deinde magna vel in minimas diffluendi particulas facultas. Primum quidem eos ilei examinemus casus, in quibus solo pondere suo aliquid possit. In ileo enim spastico, etsi spasmum solvere corpus ullum ponderosum omnino non possit, tamen membranas spasmo contractas dilatare posse intelligitur. In ileo scirrhoso mercurium vivum quod ad pondus ejus

attinet ne tantillum quidem valere manifestum est. In ileo autem volvulo, quis est, qui non videat gravitate mercurii iis tantummodo in casibus aliquid impetrari posse, ubi pars intestini inferior in superiorem ascenderit volvulumque constituerit; quae vero res durante aegri vita nullo modo cognosci potest. In ileo stercorario mercurius quidem pondere suo fortasse faecium induratarum cumulos vel corpora aliena incaute per os ingesta propellere potest, atque ita obicem removere. Incertum tamen omnino est, num mercurius revera ullum ileum gravitate sua unquam sanaverit; igitur quod ad ponderis ejus vim attinet haud inepte nobis judicasse videmur, si mercurii vivi ad sanandum ileum usum mere esse empiricum contenderimus. Quo praeterea mercurius a ceteris corporibus physicis maxime distinguitur, et quod in discutiendis mechanicis ejus viribus non negligendum est, in eo consistit, quod magis quam ullum aliud corpus solidum in minima partiri possit volumina. Etenim quoniam facile foramina vel angustissima penetrans faecibus viam quasi patefacit, canalis intestinalis lumen amplificat, lubridumque illum reddit, mercurium vivum in ileo curando bonum suum officium praestare haud incredibile est. Sed iterum fatendum est, rem valde adhuc dubiam esse, utrum hunc in modum mercurius revera ileum unquam necne sanaverit. — Ut autem efficaciam mercurii vivi chemicam investigemus, videndum erit, quas mutationes subierit, simulatque in ventriculum canalemque intestinalem pervenerit. Brerae Moscatique experimentis probatum est, mercurium metal-

licum in ventriculo et intestinis mutari in oxydulatum; qui quidem processus chemicus, in explanandis viribus chemicis unice respiciendus, in eo consistit, quod corpori humano oxygenium detrahitur; sed haec res, quantum in praesenti medicae scientiae statu scimus, non tanti momenti esse potest, ut quae ilei sanatio mercurio vivo contigerit, inde derivari possit. Sed fortasse quis dicet, illud quod chemica hac actione productum est, hydrargyrum oxydulatum, remedium esse habendum, cui tam mirabiles mercurii vivi vires adscribendae sint; attamen si res ita sese haberet, aegroto pro regulo oxydulum potius esset sumendum, successusque etiam celerior esse deberet quam si mercurius vivus adhibitus esset; quod quidem neminem experiri memimi, nam neque oxydationes mercurii, neque salia ejus ullum in curando ileo auxilium ferunt. — Reliquum est, ut mercurii vivi vires dynamicae examinemus. Qua in re in mentem nobis venit theorematis cujusdam philosophiae naturalis (secundum quam sensibilitas corporum organicorum anorganicorum electricitati analoga est atque respondet), metalla, quum bene electricitaten conducant, etiam sensibilitatem bene conducere debere, et propterea remedia esse, quae auctam sensibilitatem comminuant. Atque sic quidem, quum sensibilitatem metalla obtundant, etiam mercurius vivus fortasse spasmodicam affectionem (quae in illis quoque ilei speciebus, ad ileum mere spasticum non referendis, permultum ad alendum morbum confert) solvere, et hoc modo ileum ipsum tollere posset. Mercurium vivum revera posse sensibilatam commi-

nuere, eo quoque comprobatur, quod Panzonio vomitum quendam epidemicum mercurio vivo sanare, pluries prospero successu contigerit. Utrum vero hac, qua pollet, vi dynamica, narcoticae haud dissimili, ileum mercurius vivus sanet, nec ne, ea ipsa res nequaquam extra omnem dubitationis aleam est posita. — Veri propterea simillimum mihi videtur esse, mercurium vivum et modo mechanico et dynamico una tantum valere. — Ex his igitur, quae modo disseruimus, patet, nondum satis omnibus suis partibus exploratum atque perspectum esse, quibus viis et qua ratione mercurio vivo ileus sanari possit, neque indicationem ejus rationalem proponi posse. Nihilo tamen minus summae fidei virorum testimoniis comprobatum est, mercurio vivo non paucis in casibus morbum sublatum esse. Quare coacti sumus, ejus usum empiricum nominare, quo nihil aliud intelligi voluerim, quam tum eo utendum esse, quum omnis indicationis rationalis expertes sumus. Ob eam rem illis ilei casibus adhibendus est mercurius vivus, ubi cetera remedia auxilium denegaverint, excepto ileo scirrhoso, in quo vel hoc ipsum experimentum non modo frustraneum esset, verum etiam noxam aegroto afferret. Aptissimum ceterum est, bibi mercurii vivi uncias duas usque ad libram dimidiam pro dosi pluries per diem una cum jure carnis pingui; in quo cavendum esse scriptores afferre solent, ne non jacenti aegroto mercurius porrigatur; quo prohibeatur, quominus subito delapsu mercurius ventriculum dilaceret. —

Iam de áltera medendi ratione empirica frigore

scilicet adhibito, verba faciemus. Etenim apud antiquiores jam scriptores literis mandatum reperimus, ileum frigore solo prospere tractatum esse. Sic ut alios taceam, Fr. Hofmannus sese aegrotum quendam ileo laborantem solis aquae frigidissimae potibus, dum calidis aeger ipse obtectus esset integumentis sudorque mnltus erumperet, sanasse narrat. Ex recentioribus scriptoribus praecipue Brandes hanc methodum commendavit, qui adhibito frigore et externo et interno pluries sese ileum feliciter curasse dicit. Perquam nota est frigoris in tractandis herniis incarceratis efficacia, quam illud verissimile est exercere augendo fibrarum muscularium tono, et condensando aëre intestina expandente. Simili modo volvulum frigore tolli posse, haud ineptum videtur. Ceterum vero hic nobis minime sermo est de frigoris bonis in ileo curando effectibus iis, qui vi ipsius antiphlogisticae adscribendi sunt, quippe de quibus in contemplanda indicatione symptomatica dicendum sit. Sed adhuc incerta mihi res videtur, quibusnam in casibus ilei frigus remedium radicale fieri possit, et pro tempore non exprobrandum mihi esse puto, quod frigoris usum empiricum esse dixi. Variae autem viae apertae sunt, quibus organismo frigus impertiamus; imprimis laudantur clysmata ex frigida aqua parata, glacies vel nix abdomini et extremitatibus imposita, balnea frigida, stillicidium aetheris sulfurici; etiam superfusiones aquae frigidae in extremitates inferiores repetita vice institutae utiles reperiebantur; ad nsum inter-

num Brandes felici successu glaciem cum china et opio conjunctam adhibuit.

§. 15. De indicatione symptomatica.

Quod in omnibus ilei speciebus praevalet symptoma, sine dubio spasmus habendus est. Qui etiamsi in specie tantum illa, quam ileum spasticum sensu strictiore nominavimus, summam contineat essentialisque sit, tamen in aliis quoque speciebus nunquam non accedere solet, quare in omnibus his necesse est indicationi symptomaticae iisdem remediis satisfieri, quibus in ileo mere spastico indicationi morbi satisfacimus. Methodus igitur antispasmodica tanti debet esse momenti, ut etiam expleta indicatione morbi atque causali semper observanda sit. Imo spastica affectio vomitusque ad tantam adscendere possunt vehementiam, ut methodus haec antispasmodica vel ante indicationem morbi et causalem, aut certe una cum his expleri debeat. Quum igitur plurimis in casibus antispasmodica remedia tantam afferant utilitatem, facile intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut nonnulli scriptores in omnibus ilei speciebus unicam in illis salutem positam esse existimarent. —

Sed dolores quoque tam vehementes esse possunt, ut anodyna porrigere oporteat, in quorum numero omnibus aliis anteponendum mihi esse videtur lactucarium. —

Saepe etiam fit, ut spasmum vehementem sequatur enteritis et peritonitis, quare necesse esse potest, non tantum, quum oriantur, omnem movere apparatum antiphlogisticum, sed etiam inflamma-

tioni parvis prophylacticis venaesectionibus localibusque sanguinis detractionibus etc. praevenire. —

Denique in omnibus ilei speciebus propter impedimenta canalem intestinalem occludentia, faeces, ingentem saepe in molem, accumulari solent, quae ad amplificandum morbi statum plurimum conferunt; ex quo elucet, symptomatica indicatione plerisque in casibus eadem postulari remedia, quibus indicationem morbi in ileo stercorario explendam esse supra diximus. Ex quo etiam intelligitur, unde factum sit, ut scriptores nonnulli solam methodum evacuantem ubique in ileo aptissimam esse putarent.

§. 16. Indicatio reconvalescentiae.

In stadio denique reconvalescentiae duae res potissimum medici auxilium expetere solent; primum debilitas, quae et morbo vires exhauriente, et ipsa, qua opus erat, curatione heroica necessario exoritur; deinde opportunitas recidendi aegri in morbum, quum ileus spasticus praesertim et stercorarius refrigeriis, peccatis diaeteticis aliisque minimi alias momenti rebus reiterari soleant. Indicata igitur hic sunt tonica remedia mitiora, in quibus praecipue extractum trifolii fibrini, cardui benedicti similiumve in aqua menthae vel foeniculi soluta commendanda sunt; praeterea levis nutriensque victus, qui animalis potissimum fluidiorque esse debet; indigestiones summa cum anxietate vitandae sunt; in universum igitur omnes flatulentiam excitantes difficilesque concoctu vel obstru-

ctionem provocantes cibi fugiendi sunt, alvusque praeterea quotidie evacuanda curari debet.

§. 17. De palliativa indicatione.

In ileo scirrhoso sive enterostenosi proprie sic dicta fere semper nonnisi indicationem palliativam explendam habemus; sed etiam in aliis speciebus nonnunquam unica est, quae remanet. In eo autem consistit haec indicatio, ut aegrotus nonnisi paucos eosdemque mitissimos comedat cibos, ex vegetabilibus ea quae sedem aliquantulum promovent, ut fructus arborum coctos, praeterea cibos ex animalium regno petitos; nutrimenta tenuia potius quam consistentia sint necesse est; ad potum porrigenda est aqua communis, aqua Selterana, aqua quae dicitur amara etc. Praeterea omnia, quae intestina irritare possunt (non solum per os ingerenda, sed etiam aliae res, ut irritatio rheumatica per refrigerium comparata etc.) cautissime vitanda sunt, quotidieque quocunque modo alvus evacuanda est; quod ut efficiatur, in ileo scirrhoso clysmata optatum auxilium non semper praestabunt; ex remediis purgantibus mitiora, nec tamen debilitantia eligenda sunt, e. gr. extractum taraxaci cum cremore tartari aqua solutum; vel si faeces duriores sunt, oleum ricini; quorum omnium effectus multis tenuibus potibus adjuvandus est. Enteritis si accesserit, consueto modo tractanda est, quamquam tum in ileo scirrhoso mox mors inevitabilis appropinquare solet. Si autem omnia desperata sunt, ut vita sustentetur, anus artificialis laparotomia conformandus est.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BERROLINENSIS ADJECTUM.

Ego Alexander Crailsheim, veteris testamenti fidem professus, anno MDCCCVI Francofurti ad Moenum natus sum. Parentibus adhuc superstitibus gaudeo. Literis quas dicunt humanioribus partim domi, partim in gymnasio quod Francofurti floret, sum imbutus. Inde vernali anni MDCCCXXVI tempore Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Boeckh, universitatis Berolinensis t. t. rectore magnifico, civium academicorum, et ab Ill. Link, t. t. decano, medicinae studiosorum numero adscriptus, hisce per tria semestria interfui scholis:

Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, anatomia, entozoorum historia naturali, physiologia et anatomia comparata; Ill. Knape de osteologia et syndesmologia; Ill. Link de botanica et historia naturali; Ill. Schubarth de chemia; Ill. Ermann de calore et lumine et de atmosphaerologia; Ill. Ritter de geographia Europae.

Tum Vindobonam profectus sum, ubi per semestre hiemale praecipue cadaveribus secandis operam navavi, simulque Ill. Hartmannum de materia medica et de pathologia generali disserentem audivi.

Quo tempore praeterito Berolinum reversus has frequentavi lectiones: Ill. Schlemm de anatomia et speciatim de angiologia et neurologia; Ill. de Siebold de arte obstetricia tam theoretica quam practica; Ill. Link de pharmacologia; Ill. Bartels et Ill. Wagner de pathologia et therapia speciali; Ill. Jüngken de oculorum morbis; Ill. Horn de syphilide. Praeterea tempore subsecivo lectionibus philosophicis interesse nunquam neglexi.

Ad praxin medicam a viris illustr. Bartels, Wolff, Rust; ad praxin chirurgicam et ophthalmiatricam ab Ill. de Graefe et Ill. Rust, ad praxin obstetriciam ab Ill. Busch institutus sum. In operationibus chirurgicis ab Ill. Schlemm, et in operationibus obstetriciis ab Ill. Busch instructus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnis febris est symptomatica.

II.

Febris synocha nihil est nisi inflammatio arteriarum principalium.

III.

Inter varias formas, quas per temporum seriem morbi necessario subeunt, summa et quasi culmen evolutionis dicenda est illa, ubi morbus formam exanthematis acuti contagiosi attigerit.

IV.

Scarlatina summus gradus erysipelatis est.

V.

Petechiae non sunt exanthema.

VI.

Indicationibus rite definitis ac perpensis, sic dictis contraindicationibus nullus unquam dabitur locus.